



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 52. Prosper Lambertinus Cardinalis Archiepiscopus Bononiensis in  
Papam electus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)



Sæc. XVIII. tulisset suffragia, aliunde vero Vir esse  
 A. C. 1740 meritorum excellentia tanto honore  
 dignissimus.

## §. LII.

*Prosper Lambertinus Cardinalis Archiepiscopus Beneventanus in Papam electus.*

Quamvis omnia in Gotti Cardinalis favorem conspirare viderentur, non tamen hic erat, quem elegerat Dominus; quippe præter omnium expectationem Hannibal Cardinalis Albanus Pontificii Fiscus Præses ex altiori impulsu Cardinalem Lambertinum, de quo hucusque ne minima quidem mentio facta fuerat, præcipuis S. Collegii Patribus proposuit, pollicitus, quod si hunc vel saltem Gottium suo suffragio juvarent, & ipse cum ceteris Cardinalibus sibi addictis pro conficienda unanimi vel hujus vel istius electione concurrerent: Verum hæc propositio potissimis admodum peregrina videbatur; illi quoque Cardinales, qui vulgo *Zelantes* vocantur, adhuc dum tam constanter Gotti partes tuebantur, & hic die adhuc decima quarta Augusti in trigesimo tertio scrutinio pro se triginta & unum suffragia numeraret, ceteris adhuc suo suffragio collimantibus in



in Aldrovandium, qui tamen omnes <sup>Sæc. XVIII.</sup> perdemisse rogabat, ne sui memoriam <sup>A. C. 1740.</sup> ultra haberent: Postea Cardinales com-  
 muni consilio Deum mediante inter-  
 cessione B. V. Mariæ pro felici electio-  
 nis successu rursus indicta tridua de-  
 votione exorare decreverunt: nec id  
 incassum; quippe Cardinalis Albanus  
 dum die decima quinta Augusti se  
 Zelantibus adjunxerat, atque ad sin-  
 gulos, qui ad Corsinii Cardinalis nu-  
 tum sua vota dabant, accesserat, sum-  
 mam promptæ electionis necessitatem,  
 necnon scandalum, indeque oritura  
 mala præveniendi debitum tanta ver-  
 borum energia ac rationum vi eis ex-  
 posuit, ut paulo ante vehementius ob-  
 nitentes animos raperet, eorumque vi-  
 ginti quinque palam sese pro Lamber-  
 tino declararent: Peracto hoc negotio  
 Cardinales Lambertinum, qui tum in  
 cella Nicolai Cardinalis de Judice ver-  
 sabatur, una omnes adeunt, ac hono-  
 rifica salutatione præmissa eidem signi-  
 ficant, Dei nutu ac consilio factum esse,  
 ut pene omnes in proximam ejus ele-  
 ctionem consentirent: Ad tam inopi-  
 num nuntium velut fulmine tactus sine  
 voce & spiritu hæsit Lambertinus; ac  
 tandem sibi redditus respondit: *Dom-  
 nus est, quod bonum est in oculis suis, fa-  
 ciat, quibus dictis sese totum Divinæ*

T t 5

pro-



Sæc. XVIII. providentiæ commisit, & mira animi  
 A. C. 1740. tranquillitate rei successum præstolatus  
 est. Illuxerat tandem dies decima se-  
 ptima dicti Mensis, qua summo mane de-  
 cantato Hymno: *Veni creator*, & Sacro  
 solemniter per supremum ritum sacro-  
 rum Ministrum Realem (Apostolicum  
 Sacellano tum ob morbum absente)  
 peracto ad scrutationem proceditur,  
 qua facta, cum jamjam triginta quin-  
 que calculi in Lambertini favorem dati  
 numerarentur, Purpurati in signum  
 canonicæ electionis assurgunt: dein  
 iterata schedarum lustratione deprehen-  
 dunt, quod solus Lambertinus omnium  
 suffragia tulisset, uno excepto, quod  
 ipse Aldrovandio dederat. Finita scruta-  
 tione, omnibus eligentium schedis  
 de more combustis, Realius Rufum  
 primum Episcopalis, Rohanium Sacer-  
 dotalis, & Marinium Diaconalis Ordini-  
 nis Cardinales necnon Hannibalem  
 Cardinalem Albanum conduxit ad  
 Lambertinum adhuc in pristino suo  
 loco sedentem. His autem Purpu-  
 ratis eundem interrogantibus, an  
 factam sui electionem acceptare, &  
 quale nomen assumere vellet, respon-  
 dit, quod Divinæ dispositioni suam  
 voluntatem conformaret, atque in gra-  
 tiam Benedicti XIII. a quo Purpuram  
 accepisset, memoriam Benedictus XIV.



vocari vellet. Postmodum peractis Sæc. XVIII.  
 precibus consuetis, & obedientiæ ho- A. C. 1740.  
 magio (quod *adorationem* vocant) a  
 Cardinalibus præstito conclave aperie-  
 batur, moxque Marinius utpote primus  
 Cardinalis Diaconus Benedicti XIV. e-  
 lectionem populo annuntiabat, publi-  
 cam aggratulationem non modo festiva  
 omnium acclamatione, sed etiam cam-  
 panarum bellicorumque tormentorum  
 reboatu contestante. Dimissis igitur  
 e conclavi Cardinalibus Neo - electus  
 Pontifex ad D. Petri Basilicam solemni  
 pompa delatus, maximo numero con-  
 fluentibus bene precatus est. Inde ad  
 Quirinale Palatium, acceptis ab Al-  
 banio Cardinale clavibus contendit,  
 ibique Purpuratorum gratulationem  
 excepit, cum autem accederet quoque  
 Aldrovandius, & obsequii signum dex-  
 teræ osculo profiteretur, eidem Pon-  
 tifex dixit: *Si per me stetisset, tu utique  
 Papa esses. Cedamus uterque cælo: Ego,  
 qui me nolente, imo nec cogitante Papa  
 factus sum, Tu, qui me licet volente non  
 es factus: Ceterum talem Papam me tibi  
 præstabo, qualem Te mihi optavi.* Deni-  
 que die vigesima prima Augusti a Car-  
 ninale Marinio Tiara Pontificia redi-  
 mitus fuit, omnibus communem læti-  
 tiam festivis acclamationibus & tormen-  
 torum ex arce detonantium fragore te-  
 stanti-



Sæc. XVIII  
A. C. 1740.

stantibus: solemnem hunc diem ex-  
perat nox cælo ad publicum gaudium  
mire stellato pellucida; omnes enim  
ædes facibus, pictisque laternis collo-  
cescebant.

§. LIII.

*Neo-electi Pontificis genus &  
indoles.*

Natus erat olim Prosper, nunc Bene-  
dictus XIV. neo-electus Pontifex  
Bononiæ die trigesima prima Martii  
anno salutis nostræ supra millesimum  
sexcentesimo septuagesimo quinto. Or-  
tum traxit ex Marchionum Lambertini-  
norum gente, quæ jam per octo sæcula  
inter Bononienses nobilitate, gloria &  
vetustate in primis Floruit. Auctorem  
habuit Mundum Comitem, cujus Fi-  
lius Lambertinus natione Saxo cum  
Ottone Cæsare in Italiam veniens, in  
Bononiensi urbe consedit, & Guelfo-  
rum factioni adhæsit. Ab hac stirpe  
porro descenderunt Lambertini surculi  
domi militiæque clari, & quod gentis  
hujus tandem & gloriam absolvit, mo-  
rum sanctitate & eruditionis fama il-  
lustrissimi. Eminuere præprimis Imalde  
Ord. S. Dominici & Joanna Monialis  
Bononiensis S. Claræ, quæ ob virtutum  
præstantiam Beatarum honoribus jam  
pri-